EPISTOLA PASTORALIS


AD CLERUM ET POPULUM

DIOECESIUM

G R A V I N A E

A C

M O N T I S P E L U S I I.



R O M A E
EXCUDEBAT DE ROMANIS
MDCCCXIX.
Facta a Præsidibus facultate.

CASSIODORUS MARGARITA

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS

GRAVINAE, ET MONTIS PELUSII

SANCTAE SEDI IMMEDIATE SUBJECTUS

PRAESUL DOMESTICUS, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

ORDINI CANONICORUM, PAROCHIS, UTRIQUE CLERO, AC POPULO
UNIVERSO DIOECESIUM SUARUM

Pacem, et salutem a Domino sempiternam.

Quod ex insperato, inopinatoque contigisse mihi video, haud tamen, uti sperare licet, sine arcano divinæ Providentiæ consilio, ut animarum vestrarum Pastor constituerer; id nimirum est, quod, nulla interposita mora, vobis omnibus, *venerabiles Fratres, ac dilectissimi in Christo Filii*, ad significandum aggredior. Tertius jam supra decimum vertebat annus, ex quo animarum regendarum cura urgebar. Nam Vicarii generalis munere functus sub Augustino Colajannio Sorano Episcopo vigilantissimo, omnique virtutum laude insigni, cujus quidem præclara in me merita memoria colam sempiterna, eo demortuo Vicarius capitularis ab amplissimis ejusdem Soranæ Ecclesiæ Cathedralis Canonicis fui renuntiatus, tametsi neque ex Canonicorum Collegio, neque ex eadem essem Dioecesi. Quod quidem tam egregiæ eorum in me voluntatis testimonium eo potius mihi esse debuit, quo iidem

ipsi majore deinde studio in pastoralibus curis præsto mihi semper fuerunt, tum etiam exemplo, vitæque ratione ad sacrorum Canonum normam exactæ non parum emolumenti, et commodi gregi meæ fidei permisso importarunt. Neque jam ceteri quique e totius Dioecesis Clero se mihi non admodum probarunt, neque Optimates, populusque etiam universus singulari in me officio non exstiterunt, vix ut assequi verbis valeam. Utinam vero quas deberem, quasque optarem gratias iis omnibus agere possem! profiteor tamen, ac polliceor, numquam omnino futurum, ut tot eorum in me merita oblivione obruam, vel aliquando divellar animo, a quibus heu quam ægre nunc distrahor corpore!

Accessit etiam, quod hoc interim spatio Apostolici Vicarii personam per biennium circiter sustinere debuerim in Aquinati, et Fregellana Dioecesi, e qua ipse eram, et in qua administranda non parvo mihi solatio fuit, quod Clerum repererim tum officiorum suorum servantissimum, tum mei studiosissimum, cui nulla umquam a me grati animi significatio deerit. Atqui, ut vere fatear, in tam multiplici gerendarum rerum mole, quodque longe gravissimum, in tanta temporum acerbitate, adeo me degravatum, implicitumque persæpe perspexi, ut animo fortasse, ac viribus nonnumquam defecissem, nisi præsens Deiparæ Virginis auxilium fuissem expertus, cui quidem uni acceptum referre debeo, quidquid boni in tam magna animarum procuratione egerim, vel potius quidquid non deliquerim.

Jam vero post tot curas, diuturnasque molestias, nonne portum me aliquando adspecturum, et quieta, tranquillaque vita usurum augurarer? At res longe secus se habuit, quam fieri debere videbatur. Ecce enim singulari

 Regni

FERDINANDI I. utriusque Siciliæ Regis beneficentia designatus, inde vero suprema PII VII. PONTIFICIS MAXIMI auctoritate vester constitutus Episcopus, cælum quidem, et christianum gregem immutem, oportet, haud tamen aliam vitæ rationem inire, neque quidquam de gravissimo animarum negotio licet detrahere. Quin immo cum antea muneris hujusce partes vel non primæ, vel certe ad tempus mihi erant agendæ; tum vero nunc Episcopali dignitate auctus, atque Ecclesiis istis sacro devinctus connubio, quis non videat, Pastorale onus totum meis humeris impositum, et quidem omni vita ferendum?

Itaque primo hujusce rei nuntio accepto, cum hæc omnia mecum ipse reputarem, et objectam collati muneris speciem penitius considerarem, equidem non potui, fateor, quin pro rei gravitate vehementer statim commoverer, et nec levi premerer sollicitudine. At postmodo recreatus aliquantulum, et cælesti rerum omnium dispensatione id obtigisse ratus, Virginis Deiparæ ope implorata, in cujus tutelam ab ineunte ætate potissimum me contuli, præsertim cum in lucem editus die sacro eidem Virgini invisenti Elisabeth, ad divinam voluntatem me totum converti, meque ipsum Deo omnino devovi, illud unum enixe precatus, ut res hæc nisi bene, feliciterque tum mihi, tum gregi meæ curæ commisso non eveniret. Hinc porro ex infirmitatis meæ conscientia oculos avertens, levavi eos in montes in certam ingressus spem fore, ut inde veniret auxilium mihi. Qui cum *stulta mundi eligit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi, ut confundat fortia, quique vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*; idem ipse cum *suscitare voluerit me egenum de pulvere, ut sederem cum Principi-*

bus suis, *et pascerem populum suum, nonne illuminabit etiam tenebras meas*, et dabit mihi *pauperi sedium suarum assistricem sapientiam, quæ mecum sit, et mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud eum, et disponam populum suum juste*? Hac autem spe eo etiam potiore jure niti posse reor, quod probe sciam, Deum ipsum non despicere preces humilium, sed inclinare aurem suam ad preces eorum. Mihi vero illud in primis propositum, quod, Deo juvante, præstaturum confido, ut quo subliniore in loco collocatum me esse perspicio, eo etiam demissius, ut par est, de me ipso sentiam, immo minimum omnium, servumque omnino inutilem existimem; tum etiam ut precibus omnibus continenter petam, ut factus forma gregis ex animo adimpleam ministerium meum, et attendam gregi, in quo Spiritus sanctus posuit me Episcopum regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.

Hac mente, et spe, quod omnia possum in eo, qui me confortat, vix dum manuum impositione, et mystica sacri chrismatis unctione accepta ab Eminentissimo Principe *Alexandro Episcopo Ostiensi, et Veliterno Cardinali Matthæio*, purpuratorum Patrum Decano, quem honoris, et grati animi caussa nominatum hic volo, Pastorale munus, Deo auctore, ac duce, Deipara vero patrona, atque adjutrice, auspicaturus, paucula quædam per chartam, et atramentum conscribenda vobis raptim curo, ut quam citissime intelligere possitis, quæ mea in vos voluntas. Ac primum singulos quosque salutans in osculo sancto, et tamquam filios jam mihi in Christo carissimos complectens, vobis quidem ex animo gratulor, mihi vero vehementer gaudeo, quod acceperim, ea in-

genii indole, eo pietatis, ac religionis studio præditos vos esse, dubitare ut nullo modo liceat, quin Pastoris vestri voci faciles præbeatis aures, ejusque monita perficienda pro viribus curetis. Enimvero quid optatius, quidve jucundius animarum Pastori obvenire potest, mihi vero maxime, qui lenitatis partes, quas vel ipsa me docuit natura, libenter semper egi, gravitatis vero, ac severitatis, nisi quando levibus jam frustra adhibitis fomentis, morbi gravitas acriora, et graviora remedia omnino postulabat, et quidem semper invitus. Neque enim vel transversum quidem unguem ab sacrosanctæ Tridentinæ Synodi monitis discedendum mihi esse semper duxi (1), ut animarum Pastores ex Apostoli præscripto *arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, et patientia*, *cum sæpe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas*.

Itaque veniam, mihi credite, ad vos, non jam tamquam dominans in Cleris, sed tamquam Pastor amantissimus, cui nihil potius, quam ut requirat ipse oves suas, et visitet eas, et pascat in montibus Israel, in rivis, et pascuis uberrimis, ut ibi requiescant in herbis virentibus. Quod si quid infirmum forte reperiam, omnem dabo operam, ut consolidem; si quid ægrotum, ut sanem; si quid confractum, ut alligem; si quid abjectum, ut reducam; et si quid periit, ut quæram; semper tamen, quantum officii ratio sinet, in patientia, in mansuetudine, in lenitate. Num enim aliter possem, Pastorum Principis exemplum intuens, qui se *humilem, et mitem corde* profes-

---

(1) Sess. XIII. cap. 1. de Reformat.

a 4

sus est, quique tradidit animam suam pro ovibus suis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus? Quid igitur mihi vel tam molestum, vel tam impeditum, vel tam arduum accidere posse putem, quod tanto objecto exemplo ferendum, expediendum, providendum pro credito mihi grege omni ratione non curem? Ita quidem mente agito, ita animo fixum teneo, nihil ut neque laboribus, neque curis, neque vigiliis parcam, dum animarum vestrarum rationibus consulam, atque libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris. Utinam qui dat mihi nunc velle, det etiam in tempore perficere, ut Pastorum Principi villicationis meæ rationem aliquando exigenti respondere verissime possim: *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.*

Atque hic calamum fortasse ponerem, sineret modo paternus in vos animus, qui tamen diutius colloqui vobiscum avet, et singulis quibusque civium ordinibus peculiarem aliquam amoris, ac benevolentiæ significationem exhibere. Itaque primum omnium vos nominatim compello, *Dignitates, et Canonici amplissimi Cathedralis utriusque Ecclesiæ*, quippe qui sacer Episcopi Senatus, et consiliarii estis, itemque lucernæ ardentes positæ super candelabrum in templo Domini. Nihil omnino est, quare vos horter, ut suscepti muneris partes rite obeatis. Neque enim ignoro, qua morum gravitate, qua vitæ integritate præditi estis, vereri ut nullo pacto liceat, ne alacres sitis semper in agendis excubiis Domini, in quibus *attente, studiose, rite, pie, religiose divinas laudes concelebretis, non vero mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu* (1). Doctrina porro, et pruden-

(1) Concil. Mediolan. IV. in Monit.

tia, consilioque cum admodum polleatis, quî dubitem, quin me Pastoralibus negotiis implicitum, ac laborantem non minimum levetis? Levabitis autem quam maxime, *si non discordiam modo fugiatis, verum etiam quos discordantes inveneritis ad caritatis concordiam revocare studebitis* (1), *et quod estis professione, actione potius, quam nomine demonstretis* (2).

Sed jam affari vos libet, dilectissimi, mihique probatissimi *animarum Curatores*, qui in Pastoralis sollicitudinis partem cooptati, consocii sitis, oportet, et commilitones mei. Vestrum est, ut probe nostis, vigilare, excubare continenter pro grege vestræ fidei concredito, ne leo aliquis rugiens, qui circuit quærens, quem devoret, clam in ovile subrepat, et oves dissipet, et discerpat; tum etiam omni ope, et opera curare, ut ab venenatis pascuis eas abducatis, et ad salutaria deducatis. In quo quidem majore cura, et assiduitate vobis nunc elaborandum, quod incidimus in tempora pessima, et infesta virtutibus, cum non ita pauci reperiantur, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Qua de re numquam omnino sit, ut cessetis a verbi Dei prædicatione, neque ab Sacramentorum administratione, ut pote dispensatores multiformis gratiæ Dei, id unum semper spectantes, ut christiana plebs declinet a malo, et faciat bona, atque ambulet in viis Domini. Quod autem in primis velim, quodque etiam rogo, et obsecro, illud est, ut prima fidei christianæ elementa, et religionis nostræ mysteria rudes homines, et maxime puerulos libenti, patientique ani-

(1) Concil. Aquisgr. an. DCCCXVI.
(2) S. Ambrosius de dignit. Sacerd. cap. 2.

mo doceatis, eorumque mentes ad honestatem, pietatemque mature fingatis. Quid enim luctuosius, quidve exitiosius, quam ut viri constantis, ne dicam etiam ingravescentis ætatis, ea ignorent, quæ ad salutem omnino pertinent, propterea quod pueri non didicerunt. Super hæc, visitate, precor, infirmos, iisque præsto semper estote, cum extremos trahunt spiritus: consolamini pusillanimes, eosque omnes, qui miseriis, ærumnisque premuntur: induite denique vos viscera caritatis, et misericordiæ in eos, qui e vitiorum coeno, ubi misere jacebant, emergere ex animo cupientes, cum gemitu, ac lacrymis ad vos confugiunt, ut a peccatorum vinculis solvantur. Horum, quæso, alligate vulnera, infundentes oleum, et vinum, ut omnibus ad Sanctuarii lancem pensitatis, simul ad ea, quæ probatissimi quique docent auctores, ac præsertim sanctus Carolus Borromæus, lenitatem severitati aspergatis, atque adeo judicis æque, ac medici personam, prout oportet, sustinere valeatis. Equidem diffiteri non possum, eos vos esse, qui portatis pondus diei, et æstus, quique provinciam suscepistis plenam sollicitudinis, et stomachi. Verum quod Apostolorum Princeps, idem et ego vobis: *Cum apparuerit Princeps Pastorum percipietis immarcescibilem coronam gloriæ.*

Ad vos nunc sermonem converto, *Sacerdotes*, *Levitæ*, vosque omnes, quibus ecclesiastica nostrarum Dioecesium militia constat, quique gaudium, et corona mea eritis semper futuri. Non levi quidem lætitia sum perfusus, ubi accepi, vos omnes ad sacrorum Canonum præscripta, ad Ecclesiasticæ disciplinæ rationem vitam dirigere. Quid enim boni sperare mihi non liceat ab christiana plebe, cum eos habeam Sacerdotes, aliosque Dei Ministros, qui

omni virtutum apparatu ceteris præluceant. *Nihil enim est*, inquit non sapienter minus, quam vere Tridentina Synodus (1), *quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur*. Quod absens accepi, visurum etiam, cum venero, confido, ut eos vos omnino reperiam, qui ab iis omnibus declinantes, quæ Clericis vetita, quæque eos nequaquam decent, *exemplum sitis* omnes *fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*, atque adeo custodiatis diligenter gratiam, quæ data est vobis per impositionem manuum Presbyterii. Tum enimvero neque introire umquam audebitis ad altare Dei, nisi innocentes manibus, et mundo corde, ut offeratis sacrificium Domino; neque diurnum Horarum canonicarum pensum, nisi qua decet attentione, ac pietatis affectu, et quidem tempestivis horis persolvetis; neque divinarum Scripturarum, ac sacrarum disciplinarum studia sedulo semper colere negligetis, ut docere possitis eos, qui legem requirent de ore vestro, et exhortari in doctrina sana; neque fiet omnino, *ut in omni in primis sancta oratione vos assidue non exerceatis*; *tum in meditationis, tacitæque piæ orationis studio singulis diebus certo temporis spatio toto castissimi animi sensu non incumbatis* (2), ut ea divina vobis suppetant auxilia, quibus ad vestri muneris partes rite obeundas omnino in-

(1) Sess. XXII. cap. 1. de Reformat.
(2) Conc. Mediol. IV. in Monit.

digetis. Et quoniam in Episcopali Seminario tamquam in horto concluso optime aluntur, et succrescunt eæ novellæ plantationes, quæ possint in tempore magno et ornamento, et usui esse vineæ Domini; cum veniam, nihil intentatum relinquam, ut Seminarium istud ob temporum vicissitudines interclusum, rursus instauretur, et optimis adornetur tum Moderatoribus, tum Magistris.

Sinite nunc, ut paucis vos teneam, *venerabiles Religiosorum Ordinum Alumni*, quos ego omni semper honore, et laude dignos habebo. Multa mihi quidem fiducia est apud vos, multa quidem gloriatio pro vobis; siquidem confido fore, ut illustrium Patrum vestrorum vestigiis insistentes, quorum sanctissimis institutis, ac legibus vos devinxistis, non parum virtutum documentis christianæ plebi sitis profuturi. Cum vero messis quidem multa, operarii autem pauci, oro vos, et obtestor, ut non sacro solum eloquio, verum etiam quaque alia ratione potestis, adsitis mihi, et gregi, quem custodiendum accepi.

Virgines Deo sacræ, pars selecta gregis, et bonus odor Christi, beatas vos appellem, oportet, quippe quæ non respexistis in vanitates, et insanias falsas, sed mundi illecebras, omnemque ornatum sæculi alacri animo mature contempsistis, ut quæreretis in solitudine Sponsum electum ex millibus. Quam igitur ei fidem dedistis, integram, inviolatamque perpetua vita præstetis, oportet, ut cum venerit, obviam possitis occurrere ei cum lampadibus caritatis oleo ornatis, et iccirco introire in æterna tabernacula, et accipere coronam, quam ipsemet præparavit vobis in æternum. Vestras ego imploro preces tum apud Deum, tum apud Virginem matrem, ut omnibus omnia factus, non faciam animam meam pretiosiorem, quam me, dum-

modo consummem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Jesu.

Atque hic non possum, quin honoris caussa vos nominem, spectatissimi *Magistratus*, et publicarum rerum *Administri*, tum etiam *Optimates* omnes. Nulla apud vos personarum acceptio; nulla in jure dicundo gratiæ ratio; nulla pupillorum, ac viduarum derelictio; nulla miserorum despicatio; nihil denique magis cordi vobis est, nisi ut sapientissimo Regis nostri consilio respondeatis, cui nihil antiquius, quam ut res publicæ, privatæque recte, et ex ordine procedant. Quid igitur præsidii non mihi a vobis jure spondeam, quos justitiæ amor, morum probitas, ceteræque virtutes omnibus tantopere commendant? Cum vero neque speretis in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, neque occludatis aures vestras clamoribus pauperis, immo auxiliarias ei porrigatis manus, nonne thesaurizatis vobis fundamentum bonum in futurum, thesaurum numquam deficientem in cælis?

Postremo vos omnes alloquar, necesse est, *dilectissimi in Christo Filii*, cujusque tandem ordinis, et conditionis, quos jam habeo in corde, et cupio in visceribus Jesu Christi. Estote, quæso, dicam primum, fundati, ac stabiles in fide, quam singulari Dei beneficio accepistis, sumentes in omnibus scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Quod si semper alias, nunc certe majore cura, ac vigilantia præstandum vobis est, cum non desint, *qui per profanas quasdam vocum novitates*, *et oppositiones falsi nominis scientiæ* fidei, ac religionis fundamenta quasi per cuniculos attentant, et mellitis, captiosisque sermonibus imprudentes, atque imperitos in fraudem allicere conantur. Hos, precor,

fugite tamquam a facie colubri, ne aberrantes convertamini *in vaniloquium*, *et circa fidem excidatis*, *sine qua impossibile est placere Deo*. Caritas porro Dei diffusa sit in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis; si caritatem enim non habetis, facti estis velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Diligamus ergo Deum, quoniam ipse prior dilexit nos, ita tamen, ut et diligamus fratres nostros, neque verbo solum, et lingua, sed opere, et veritate. *Quomodo enim caritas Dei*, clamat Joannes (1), *manet in eo, qui cum habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, clauserit viscera sua ab eo*; vel etiam supergrediatur, et circumveniat in negotio fratrem suum? Spero equidem, id numquam apud vos eventurum, et iccirco induite, precor, vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. At vero omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus; tum etiam omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia, ne detis umquam locum diabolo, neque contristetis Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis. Cum vero non sit potestas, nisi a Deo, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, oportet, *non solum propter iram*, *sed etiam pro-*

---

(1) I. cap. 3. v. 17.

pter conscientiam. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem; et nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis: *qui enim diligit proximum, legem implevit*.

Quæ hactenus monui parum, aut nihil etiam valerent, nisi vos super omnia hortarer, obsecrarem, ut vigiletis in oratione, ut sine intermissione oretis. Qui enim non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, nonne continenter oremus, oportet, ut petamus, et consequamur ea divina auxilia, quibus per bona opera certam nostram vocationem, et electionem faciamus? Interea tamen dum supplices accedimus ad Thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, quo facilius Deus ipse annuat votis nostris, deprecatricem adhibeamus apud Deum *Virginem Deiparam*, cui in cælum evectæ utraque Cathedralis nostra Ecclesia dicata, et quæ vere maternum in nos gerit animum; tum suffragia petamus Discipuli illius, cui Christus in cruce moriens matrem ipsam commendavit, et in cujus anniversaria gratulatione vester sum inauguratus Episcopus; itemque Cælitum omnium, eorum maxime, quorum mortales exuviæ penes vos tam religiose asservantur.

Oportet autem, ut dum orationes vestræ innotescant apud Deum, innotescant etiam pro omnibus hominibus, præsertim vero pro iis, qui in sublimitate sunt, ut quietam, et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate. Et primum quidem pro PIO VII. PONTIFICE MAXIMO, ut cui statuit Deus testamentum æternum, et dedit Sacerdotium magnum, et coronam gloriæ, magnificans eum in conspectu Regum, Deus ipse

congerat in eum plena manu charismata gratiarum, et beatum faciat etiam in terra. Deinde vero pro pientissimo Rege nostro FERDINANDO, ut quem exaudivit jam Dominus in die tribulationis, et sospitem reduxit in civitatem habitationis suæ, protegat nunc una cum Regia Domo, et dies super dies adjiciat. Denique pro me, ut faciat mihi Deus secundum misericordiam suam, et det mihi intellectum, quo custodiam ipse, et simul perficiam, ut vos custodiatis vias ejus; pro certo habentes, quod non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis.

Hæc fortasse, *venerabiles Fratres, ac dilectissimi in Christo Filii*, fusiore, quam statueram, calamo ad vos scripsi. Itaque nihil addam aliud, nisi me quam primum ad vos venturum, ut os ad os loquar, atque aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis per eam, quæ invicem est, fidem vestram, atque meam. Deus autem exaudiat vota mea, ut det vobis de rore cæli, et de pinguedine terræ, et dum ego singulis quibusque paternam ax animo benedictionem impertio, ipse confirmet vos usque in finem sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi, cujus gratia, et pax, et communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus vobis. Amen.

Dabam Romæ extra portam Cælimontanam VI. kal. Januarias, die sacro sancto Joanni Evangelistæ, atque ipso consecrationis nostræ an. MDCCCXVIII.